

Regio, & unde
dicta.
Situs.

Soli fertilitas.

Imperium majo-
rum.
Urbes.

MARCHIA vel *Marka Anconitana* ab Langbardis nomen accepit, ab *Ancone* Emporio celeberrimo, quod sedem & domicilium dabat Marchionibus universæ regionis, Dominis & Moderatoribus. *Picenum* nominatur Livio, & aliis. Conregionales Picentibus sunt ad Meridiem quidem Sabini, Vilumbri, Vmbri cum Apennino Monte: ad Occidentem Galli Cisalpini cum Isauro fluvio: qua Septentrio est, Sinus illos pulsat Adriaticus: in Orientali limite statuendo variatur. Plinius Aternum ponit amnem & Anconem: Ptol. Matrinum fl. cum Ancone. Novirii, in quibus Princeps Leander, Truentum signat Finitorem inter hos & Præturianos. Ager Picens (ut cum Livio loquar) rerum omnino fertilis: Fructibus tamen lignarijs, quam frumentarijs, præstantior. Nobilissimum Vinum ad Sirolum Opidum colligitur, quod Plinius *Anconitani Vini* celebrat nomine. Regio majore ex parte sub dirione summi est Pontificis: cuius in ea sunt *Ancona, Recanatum, Fanum D.: Maria Laureti, Camerinum, Fanum Fortuna, Tolentinum, Firmum, Macerata*, & alia quædam Opida: *Eugubium, Caglium, Forum Sempronij, S. Leo, Senogallia, Vrbium*, aliaque nonnulla sub aliorum sunt Principatu. Urbs eius primaria *Ancona, Ancon* Ptol. Hodie nomen retinet: quod impositum Vrbi ab oræ ibi flexu, Cubiti formam efficiente. Opposita Promontorio Cumero, mari suoque Portu clauditur a Septentrione: Portis porro propugnaculis murisque undique munitissima. Pontificum præsertim Romanorum industria. Portum imprimis habet, qui natura arteque validus: aditu peropportunos: multarum navium capax: ab Trajano Cæsare exstructus. Propugnaculis Urbs sex superbit, quæ omnia suis tormentis bene instructa. Continua Græcorum, Illyricorum, Pannonum, imo totius Europæ mercatura præsignis, viis longissimis sed angustis, frequens habitatur. Ager suburbicarius, rerum omnium & Vini est fertilis. Sunt præterea *Firmium*, hodie *Firmo*. *Firmianus* fuit *Cælius Lactantius*. Urbs vetus est, *Ricinetum, Reccanoto*, vel *Recunati*, vel *Ricanati* Italys hodie; Emporium est celeberrimum, venientibus eo bis ad Nundinas, statis, anni temporibus, ex tota Europa Asiaque pleraque Mercatoribus. Stupenda *Helvia Ricina* vestigia passim in itinere per agros monstrantur, inter alia lateritium Amphitheatrum ingens in ripa fluminis Potentis, aliaque magnorum ædificiorum rudera. *Auximum* antiqua & Episcopalis Civitas, vulgo *Osno*, *Oximum* Livio. Summam loci antiquitatem testantur passim plurima nuper reperta hic Epitaphia & Elogia. *Fabrianum*, Latine scribentibus *Faberiana*: Opidum quatuor nobilissimis Italiæ Castellis ob ædificiorum splendorem connumerari solitum. Opificum Tabernis frequens: quæ ita distributæ sunt, ut Vici singuli proprias habeant uno in loco, Fabri suas, Calceolarij suas, Cartarii suas. *Senogallia* Urbs Episcopalis. *Senam* prius appellatam fuisse patet ex Polybio & aliis. Deinde *Senogallia* cœpit audire. Hodie *Sinigaglia* vel *Sinegalia*: Opidum Cælum habet grave. Parvum ab Occasu Misa fl. adluitur: muro validum lateritio, valde crasso, vallo item & propugnaculis. Penuria laborat propter Maris vicinitatem aquarum dulcium: importatis uti coactis. *Fanum* opidum Episcopale non magnum, in monte situm, vulgo *Fano*, *Fanum Fortuna* Tacito & Ptolemæo, *Fanti*